



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An, & qualiter Judex certum terminum statuere possit, intra quem exceptiones dilatoriæ, vel etiam peremptoriæ proponi debeant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tionem juxta *L. Purè 5. ff. De dol. & met. except.*

§. IV.

An, & qualiter Iudex certum terminum statuere possit, intra quem exceptiones dilatoriae vel etiam peremptoriae proponi debeant?

Potest Iudex partibus litigantibus terminum statuere, intra quem omnes suas dilatorias exceptiones proponere debent, ita ut si post terminum talem finitum opponere aliquas velint, non audiantur; nisi prius protestatae fuissent partes (non tantum generali clausula: *salvis aliis exceptionibus*: sed in specie, & quidem in scripto exprimendo eas, quas velint postea probare) aut exceptio aliqua de novo emerget parti competens, vel nisi is qui opponere vult, juramento asserat, se post lapsum terminum ad notitiam illius primum pervenisse. Prout statuitur in *c. Pastoralis 4. h. 1.* (ad decidendas scilicet, & abbreviandas lites, sine singulari tamen partium praejudicio) aut si intra terminum assignatum probare exceptionem talem non poterit, possit tamen postea (paria enim sunt non competere exceptionem, & eam probari non posse;) aut exceptio sit de incompetencia Judicis, in quem pars consentire non possit (quia est exceptio nullitatis, quae semper opponi potest) aut sit exceptio litis finitae, ad peremptoriè infringenda merita causa; vel sint exceptiones contrariae à reo propositae, quae cum simul probari non possunt, potest reus ab una probanda transire ad aliam, vel denique sit exceptio excommunicationis, juxta

Clement. Excommunicationis, nisi h. l. Etiam si specificè ad proponendam etiam exceptionem excommunicationis intra tempus praefixum Iudex statuerit (quod beneficium à jure concessum, non potest auferre Iudex) & si quis etiam juraverit se non oppositurum hanc excommunicationis exceptionem; cum talis exceptio non tam in favorem partis, quam oblitum publicum concedatur, & ob periculum animae.

De peremptoriis tamen exceptionibus utrum à Judice certus etiam terminus praefigi possit, quo elapso, non amplius audiantur, dubitant AA. non nisi quòd possit, quàm quomodo possit. Quae in re distinguendum videtur, ita ut si Iudex terminum talibus peremptoriis exceptionibus praefixerit, vel cum causae cognitione, vel sine ea: si prius contigit, non potest reus, post elapsum terminum, peremptorias tales exceptiones proponere. *argu. L. 2. ff. de re Judicat.* Si postea contigit, potest reus etiam post terminum à Judice positum elapsum peremptorias exceptiones opponere, cum non possit sine justa causa, & consequenter non sine causae cognitione hoc jure proponendi exceptiones peremptorias privari.

§. V.

An, & qualiter alia nonnullae exceptiones opponi possint, vel non possint?

Plura habens beneficia, si excipiat contra alium de pluritate beneficiorum, non est admittendus, juxta *c. Cuius Ecclesiae 3. h. 1.* Quia non debet quod in alijs reprobare, quod in seipso appro-